

ARS ET INGENIUM sive de *gin* apud *bar*

In frondiferos locos ibam aetherium Veritatis lumen divinamque Pulchritudinis claritatem venatum, cum vox – nescio quid certe est – in limine nemoris caneret:

*Per correr miglior acque alza le vele
omai la navicella del mio ingegno...*

Cui, sicut parvulo angelo super dexterum humerum daemoniunculus sinister, vicissim altera, resonans per hila lactea betullarum, obstrepuit:

*Ma qui la morta poesi resurga,
o sante Muse, poi che vostro sono.*

Igitur, Dante duce, altercationem istam fere puerilem (quam ob rem hic, praeter errores memoriae, refertur) ad silvam relinquendam secutus sum. Postea, eas voces Artem et Ingenium esse comperi.

INGENIUM Heu! Poësis mortua est? O misellum mel, o dulce flavumque...

Hexametri et pereant: isti pedibus conscribuntur!

ARS Ride, Ingenium, dum claudicas: cogitationum tuarum fructus, ut ais, innumerabiles sint licet, sed vero instabilissimi. Tu Cerberus, tribus capitibus polytropos, sed vinculis retentus; ego autem firmissima milipeda, exacta agilisque.

INGENIUM Magis magisque claudicabo cum, si musaeo lepore careamus, tetra absinthia tantum maneant, immo madeant! Ac fortasse, abstinthiis maceratis stillatisque, poësis renascatur quia, ut ait Horatius, *nulla placere diu nec vivere carmina possunt, quae scribuntur aquae potoribus*.

ARS Horatius ipse, qui alibi scribebat *nec rude quid prosit video ingenium*? Sine arte, rudis, vix rudas! Sed perge libidines sequi, morare absinthia aut tua vina divina.

INGENIUM Qualis peritia, quae desultoria scientia verbis ludendis! En, te stupefaciam: divus vinus, lepide dicis, et *gin numine*, addo, quod est anagramma verbi “ingenium”!

ARS Fere recte, mi care, sed iterum claudicas: litterula “n” superfluit! Prorsus in-*gin*-ium te appellabo.

His auditis, dum feroci iurgio per folia crepitantia curioso sed pavido incessu adpropinquo, ut quietem autumnali luco reddere coner, “*Alterius*”, mitis inquam, “*sic altera poscit opem res et coniurat amice*”. Ita pergit autem Horatii carmen: nolite vos vicissim laniare! Liquor *gin* enim situs est in *bar* et, ut nobis placet, *bar situs* verbi “artibus” anagramma est! Sine arte maenas ingenium manat in solitudinem; sine ingenio, sale cachinnisque tabernae, ars nudum antrum est”.

ARS Vix ob tua verba lacrimas teneo... inepte locutor: quo usque tandem mendosa anagrammata patiar? *Bar situs* enim “s” redundat: cave formas, exactus esto! Postremo, vos moneo librum horatianum illum “Ars poetica” inscribi.

INGENIUM Si bene cogitas, suavis ars, anagramma rectum est, immo exactissimum: non verbi “artibus” at “artibuss”, quippe non milipeda sed sibilans semper es serpens.

Iam eorum edacitate vanitateque victus, aureos tepentis lucis radios inter arbores cernere coepi. Voces illae latratibus similiores fiebant; tum vero omnes aves propter tantum clamorem alibus susurrantibus luco avolaverunt.

In nemoris limine vallis erat molli gramine aspersa ubi, trans expolitae arcum lapidis, fons ad imos montes patebat. In illo femina divinae formae natans tenues pariebat undas quae cincinni liquidi videbantur. Ecce, post longam peregrinationem, praedam quam homines arte ingenioque diu quaerunt per vitam! Simul ac illa, rubore suffusa, me respexit, perlucidae Nymphae, intermisso choro, constiterunt.

Tunc, cum duo molossi diros latratus, horridiores quam prius, e silvis extulissent, vani fuere gemitu mei contra voracitatem cerbeream vipereamque agilitatem.

Nunc per iter tenebricosum pererro neque usquam poësin repperi sed Galileum, qui dicit se in puteum cecidisse sollertia et sollingenio deiectum (imago enim illa edita est ab IA, vel Intellegentia Artificiali: id est coniugium Ingenii et Artis!) et, per putea ad astra, ille nempe cupit exire *a riveder le stelle*.